

eo viuento coronato, hoc actum est. Quoniam pastoralis officii cura, quibus spiritualium rerum summa committitur, admonet vniuersos, ac paterna sollicitudo inuitat, vt gregibus sibi creditis ita quisque prouideat, quod luporum morsibus non exponatur incaute; et ne incongrua abutentes licentia terrenis commodis inhiare videantur; et ne animarum lucra obmittant, diligenter inquirere. Ideo ego P. (Petrus) diuina fauente gratia, Spalatinae sedis archiepiscopus, videns multa enormia per nostrum archiepiscopatum emersisse, multiplicesque subditorum errores considerans grauiter pullulare, ut domino prouidente excessibus tantis finem congruum imponere, atque salutaribus monitis audientes possem informare, de mandato et voluntate summi pontificis, in nostra Spalatensi ciuitate, cum omnibus suffraganeis, et abbatibus, nec non clericorum copia, generalem Synodum, inuocata S. Spiritus gratia, Kalendis Maji celebrauimus. Vbi vero anathematizauimus omnes sectas haereticorum, et eorum complices, contra sacrosanctam Romanam Ecclesiam et eius doctrinam oblatrantes, et omnes indebite ecclesiastici officii verberatores, et decimarum, reddituumque ecclesiasticorum raptos, inuasores, ac illicite retentores, nisi digna satisfecerint satisfactione. Vbi et statuimus, vt omnes vsualitates antiquae, quas Ecclesia S. Domnii habuerat, et iurisdictiones tam in episcopos, quam in alium clerum praecipiendo S. D. (secundum Deum) habeant auctoritatem, et quod neminem ad ordinem archiepiscopus promoueat, nisi per archidiaconum, aut per Canonicos S. Domnii praesentatum; sicut in alio priuilegio, quod Canonicis super antiquis vsualitatibus seruandis fecimus planum et expressum. Instituius etiam, vt officium B. Mariae V. in omnibus ecclesiis per nostram diaecesim omni die cantetur. Praeterea, quum Parochiae Suffraganeorum nostrorum ad se inuicem essent confusae, et certis limitibus nequaquam distinctae, et nullis priuilegiis communitae, ita vt ipsi Episcopi in errorem et controuersiam saepe inducerentur; placuit nobis omnibus, memoratas parochias taliter distinguere, ac priuilegiis communire, vt de caetero vnusquisque episcoporum attributis sibi parochiis et priuilegiis gaudeat, et nulli vnquam fratrum suorum quaestionem exinde mouere praesumat. Definimus itaque pari voto, et communi voluntate eorundem Suffraganeorum, vt A. Episcopus Spalatensis has habeat parochias: Clissam, Scale, Sminam, Cettinam, totam Cleunam, totum Massaron, et totum Pol (hodie Polizzam) vsque ad Vrullam, et vbicunque sunt terrae S. Domnii, debent dare decimas S. Domnio. Insuper habeat has ecclesias: S. Martham, S. Petrum de Clobuco, S. Mariam, S. Stephanum, S. Moysem, S. Bartholomaeum. Tiniensis Episcopus habeat sedem suam in Tenin; et habeat has Parochias: Tenin, Campum, Verchrezam, (Verhrecam), Pset. Traguriensis Episcopus habeat has Parochias: Tragurium, Drit, Sibenicum, et totum Comitatum Zagoriae. Scardonensis Episcopus habeat: Scardonam, Briber, Belgradum, cum tota Sidraga. Nonensis Episcopus habeat Nonam, totam Lucam, et medietatem Licae. Signiensis Episcopus habeat sedem suam in Signia; et habeat has Parochias: Signiam, Gezcarn (Gačkam) totam, et medietatem Licae. Corbauiensis Episcopus habeat sedem suam in Corbauia; et habeat has Parochias: Corbauiam, Vinodol, Bussan, Nouigrad, Presnic, Plas, et Modrussam. Pharensis Episcopus habeat sedem suam in Phar; et habeat has Parochias: Phar, Braciam, et Lissam, Corceram, Lastam, et Mulcer, et totam Crainam. Ecclesiae vero S. Stephani Regis, et Capellae nostrae in honore S. Ioannis Euangelistae, quam nos